

Tom: LXXVI. Miscell:

~~G.H. 70.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

17-18.

VITEBERG.

SIGNAT. 61515CCCXIII.

6.
d
DISPUTATIO THEOLOGICA

Ex verbis Johan. 3. vers. 16.

Q V A M

Εὐν Θεῷ,

Ex Decreto & auctoritate Venerandi ordinis Theolo-
gorum in Academia Gießena,

Præside

Reverendo ac Clarissimo viro,

D. N. JOHANNES

WINCKELMANNO, SS. THEOLOGICÆ

DOCTORE, ET IN EADEM PROFESSORE PRI-

mario, Pastore item, & vicinarum Ecclesiarum Has-

siacarum Darmstatinæ partis superatten-

dente vigilantissimo,

PRO INSIGNIBVS AC PRIVILEGIIS

Doctoralibus in Theologia consequendis ven-

tilandam proponit

M. Henricus Wideburgius Neostadio-Brun-

swigius, Mathematicum Professor

Ordinarius.

Ad Diem XXIII. Januarii in Auditorio Majore.



G I E S S Æ,

Ex officina libraria Casparis Chemlini.

ANNO 1617.

M.M.Z.



ANALYSIS DICTI

JOAN. III. vers. XVI.

THESIS I.

VITA aeterna est summi Boni, id est, Dei visio
& fruitio, iuxta dicta, Joh 17. v. 3. Job. 19.
v. 25. 26. 27. Pl. 72. v. 25. 26. 27. 1. Cor. 13. v.
12. ut qui tunc erit omnia in omnibus, 1. Cor.
15. v. 28. nempe omnia, quaecumq; ab omnibus
honestè desiderantur, & vita, & salus, & victus, & copia, &
gloria, & honor, & pax, & omnia bona, finis desideriorum nos-
trorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fa-
tigatione laudabitur. August. l. 22. de civit. Dei c. ult.

2. Ad hanc initio in Adamo sumus omnes creati: Fuit n.
Adam, & in Adamo fuimus omnes. At qui periit Adam, & in
Adamo periimus omnes, inquit Ambro. in c. 15. Lucæ, ut car-
naliter geniti non possimus videre aut introire regnum Dei.
Vitam nescimus, viam non invenimus, semper contrarionisu
ad mortem properamus.

3. Vita est Christus: Idem & via est: A quo dum fluc-
tuamus, à vitâ exulamur, extra viam ad perniciem aberras-
mus 1. Joh. 15. v. 11. 12.

4. Sicuti solem non videmus sine sole, ita nec Christum
sine Christo Eum audiant, qui cognoscere volunt, quid divinitus
de nostra salute reparanda ab aeterno sit constitutum Ipse
n. solus novit Deum, & nobis enarravit [ἐξηγήσατο] JO. I. v. 18.

5. Audimus eum loquentem in scriptura sacrâ, quæ
quia sola est testimonium divinum, sola est norma mensura ac
fundamentum nostra fidei: Aequalis quippe latitudo & fidei.

monii divini. Ergò perfecta quoque *est* perspicua absq^{ue} ullis humanis traditionibus.

6. Quae scriptura alicubi multis tradit, illustrat, & explicat, alibi saepius veluti in summam brevi sententiâ contracta proponit, nostram nimirum imbecillitatem sublevatura.

7. Talis est quoq^{ue} sententia Christi: Joh. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam: Quam propter rotundam breviter, & profundam sublimitatem Epitomen Evangelii recte appellare possis. Habemus n. in eâ causas nostrae salutis omnes, ordinemq^{ue} ejus ab aeterno à Trinitate constitutum 1. Φιλανθρωπίας Patris (à quâ propter ὁμοσίαν non excludantur Filius & Spiritus sanctus. Gal. 2. v. 20. Eph. 5. v. 25 Rom. 5. v. 5) 2. Filium Dei iustitia laesa satisficientem, & Deo nos reconciliantem. 3. Fidem, qua à Spiritu S. ministerio verbi & Sacramentorum excitata Gratiam Dei in Filio fiducialiter apprehendit.

8. Qualis est huius ordinis in tempore executio in justificatione peccatoris, talis, haut alius, eiusdem est ab aeterno constitutio.

9. Non omnia, sed praecipua fidei nostrae capita hoc dicto contenta enumerare potius, quam iustâ methodo pertractare constitutum est.

10. PRIMO itaq^{ue} habemus luculentum testimonium, esse pluralitatem personarum in unâ divinâ essentia, eamq^{ue} triade comprehendi & terminari. Vere enim Deus est Pater, verè Deus est Filius, verè Deus est Spiritus sanctus. Et unum sunt hi tres testimonium dantes in caelo I. Joh. 5. v. 7. Alius vero est Pater gignens, alius Filius unigenitus, alius Spiritus S. ab utroque procedens.

11. Deum Trinunum scriptura imprimis predicat veracem, justum, & misericordem, seu Φιλάνθρωπον, eò quod haec
attris

attributa in negotio salutis sint maxime conspicua, & ad haec diligenter sit respiciendum, ne vero praetextu ullum in dubium vocari queat.

12. Si enim verax est promissionibus ejus, vel comminationibus, nec hypocritica simulatio impingenda, nec perfectum complementum detrahendum. Ps. 33. v. 4. Es. 64. v. 11 12. Tit. 1. v. 2. 1 Sam. 15. v. 29. 2. Cor. 1. v. 1. v. 2.

13. Si justus est, & quidem justus Iudex, non solum omnem injustitiam & iniquitatem abominatur, obedientiam vero diligit: Verum etiam istam punit, hanc praemiis ornat. Ps. 11. v. 7. Prov. 15. v. 9. Rom. 1. v. 18. Lev. 18. v. 5. Rom. 10. v. 5. Gal. 3. v. 12. Gen. 2. v. 17. Deut. 27. v. ult. Gal. 3. v. 10.

14. Contra Photinianos hoc disjunctum notetur. Deus naturam autem est justus, aut injustus: Sed Deum naturam injustum esse implicat contradictionem. Ergo suam naturam justus est.

15. Iam vero qui Iudex est justus naturam, non potest non esse justitiam naturali peccata avertari & odisse. At qui Deus est Iudex justus Ps. 7. v. 12. & quidem naturam justus. Ergo est justitia sua naturali non potest non avertari & odisse peccata.

16. II. Patet, qua sit conditio humani generis in respectu ad Dei justitiam, nempe esse omnes per peccatum a vita aeterna exclusos, cum non nisi propter Christum fide apprehensum vitam habere queant, & absque ipso pereant, & maneant sub ira. Vide 1. Joh. 4. v. 9 10. Rom. 5. v. 8. Eph. 2. v. 4 5. 2. Tim. 1. v. 9. 10.

17. Alibi scriptura hoc ita exponit, ut ponat in homine iustitiam originalis deletionem & privationem, removendo a singulis facultatibus rectitudinem spiritualem, quam veluti speculum quoddam divinum homo a Deo creatus lucebat in mente, tenebrae, in voluntate non morbus, sed mors ipsa: In omnibus autem & pravitas est, Eph. 5. v. 8. c. 4. v. 17. 18. 19. Joh. 1. v. 5. Lu. 1. v. 29. Matth. 16. v. 17. Rom. 1. y. 21. 2. Cor. 3. v. 5. 1. Cor. 2. v. 14.

2. v. 14. 2. Tim. 3. v. 8. 1. Tim. 6. v. 5. Ephes. 2. v. 1. Coll. 2. v. 13.
Rom. 6. v. 10. Rom. 3. v. 10. usque ad 20.

18. Quin imò non solum justitia signavit, verum etiam
injustitia & concupiscentia originatis Hæsi inveniuntur. In mens
te falsum inveniendi diligentiam, & defendendi insanam con-
tumaciam: Eph. 4. v. 17. 18. 19. Rom. 8. v. 7. 1. Cor. 2. v. 14.
in voluntate ad peccandum promptissimum servitium, Joh. 8.
v. 24. Rom. 6. v. 20. adversus Deum inimicitiam, Rom. 8. v.
7. imperscrutabilem malitiam, Jer. 17. v. 9. Gen. 6 & 8. Ro. 3.

19. Hinc justitia Dei pronunciante omnis mundus fit
reus Deo, Rom. 3. v. 19. Omnes sumus naturâ filii iræ, Eph. 2.
v. 3. studio quoque, ut quorum tota vita est peccatorum exercitium
Gen. 6 & 8. Cujus iræ tot sunt tam exempla, quam testimonia,
ut insaniam & impudentiam Neophotinianorum vel ex hoc
videre possumus, quod Deum nobis iratum vel insensum fuisse
unquam negare non erubescant.

20. III. Patet, qui inter partes tam longe distantes ter
reconciliatio locum invenire potuerit: Nimirum immense mi-
sericordie & Φιλανθρωπίας divina hoc esse, quod de nostrum nẽ-
pe hostium liberatione deliberatio in S. Trinitatis confesso fue-
rit instituta, medium & ordo inventus, & contra nostra me-
rita determinatus & manifestatus.

21. Hujus Φιλανθρωπίας habemus hic tum ποσότητι, eam-
que quâ intensionem, quâ extensionem, tum ποιότητι, si hisce ter-
minis cum debita modestiâ uti licet.

22. Ποσότητι quâ intensionem alibi scriptura multis mo-
dis spectandam præbet: Ακμή dilectionis spectatur in datione
unigeniti filii ad redimendos inimicos: Hic lingua sicut, quie-
scat ratio in cã perscrutandâ, & dimetiendâ Φιλανθρωπία, cujus
abyssum & angeli mirantur. Nec cognosci, nec credi posset, nisi
eloqueretur Dei verbum & veritas.

23. Ποσότητι quâ extensionem iisdem terminis includi
videt

videmus, quibus includitur Genus humanum vel mundus pro toto genere humano sumtus, quomodo hic sumi ex contextu & locis parallelis clarissimè demonstrari potest.

24. Hoc tantummodo noto argumentum: Si Φιλανθρωπία includit totum salutis ordinem, & in uno eius ordinis gradu omnes ac singuli homines comprehenduntur, sequitur non solum comprehendi eosdem in istis omnibus, propter necessarium vinculum, sed in ipsa quoque dilectione. Sed istud est: Christus enim pro omnibus satisfecit, & ipse omnibus in Evangelio offerri & annuntiati debet ex Dei intentione & mandato. Ergo & hoc.

25. Ratione ποιότητι & docemur 1. Φιλανθρωπίαν esse merè gratuitam, nullaque ratione dependere à nostris operibus & meritis, quæ solum sunt ira & condemnationis, ubi nihil nisi peccatum. Et hinc in justificationis articulo oppositio perpetua inter gratiam & opera.

26. 2. Dilectionem illam gratuitam non esse absolutam, sed in Mediatore Christo ordinatam, ut extra hunc salus nemini contingat: Ubi divinarum proprietatum simplicitas, si misericordia absolutè absolvit, quem iustitia immutabili sententiâ æterna pernitier ad iudicarat? Medium aliquod intercedere necesse erat, quod misericordiam & iustitiam conjungere posset.

27. IV. Patet, quodnam sit istud medium, per quod iustitia & misericordia in unum quod temperamentum coeunt: Nèpe filii Dei unigeniti in carnem missio, qui proinde Mediatoris nomen habet.

28. Ejus consideranda tum persona, tum officium.

29. Ratione istius est Θεάνθρωπος & verus & perfectus Deus, ὁμοῦσι & æterni patri, verus & perfectus homo consubstantialis nobis: unus idemque Deus & homo in unitate personæ.

30. Verus & perfectus Deus ὁμοῦσι & Patri est. Primo, quia filius Dei unigenitus est. Multi quidem sunt Filii Dei, inquit Hilarius, sed non talis hic filius est, sed verus & proprius est, filius.

est filius origine, non adoptione, veritate, non nuncupatione,
nativitate, non creatione. Vide & Joh. 1. v. 18. 1. Joh. 4. v. 9.
Joh. 5. v. 18 Rom. 8. v. 32. [Eph. 2. v. 3. Galat. 4. v. 5. Johan.
1. v. 12.]

31. De qua generatione filii Dei dico 1. Esse eam veram
& propriam generationem 1. propter proprietatem vocum, *υἱοῦ ἰσοῦ* & *μονογενῆς* &c à qua non nisi Spiritu S. ducere recedere fas
est. 2. Oppositio est inter creatum & genitum Col. 1. v. 15. 17.
3. Distinctionem hujus geniturae & filiationis à reliquis omnibus.
4. Descriptionem ejus Psal. 2. v. 7.

32. Dico II Generationem hanc non esse Physicam seu
communi creaturarum ordini conformem. Nam in tali gignens
semper est causa geniti, ut effecti propriè dicti, & hinc 2. *τὸ εἶναι*
geniti semper aliud est à *τῷ εἶναι* generantis. 3. quia terminus à
quo est essentia gignentis terminus ad quem essentia geniti,
gignens prior est genito & naturâ, & tempore. Quis vero tale
quid in Trinitate?

33. Dico enim III. Genitum esse filium *ἐκ τῆς ἑσῆς* & *πα-
τρὸς* ut loquitur Athan. in simbolo. 1. quia proprietates vocis
& genere & gigni, de patre & Filio usurpatarum id requirit 2.
descriptio Psal. 2. v. 7. id efflagitat. 3. appellationes Col. 1. v. 15.
2. Cor. 4. v. 4. Heb. 1. v. 3 id insinuant.

34. Unde quia Deus est unus essentia, & Pater divinam
essentiam communicat Filio, eadem necessario est essentia Pa-
tris & Filii, & deoq; hac generatio non est causatio vel effectio,
sed rationis longe superioris.

35. Dico IV Generationem hanc esse aeternam sive ab
aeterno. Est enim per generationem Filius Dei, & aeternus est,
Esa 9. v. 6 Apoc. 1. v. 17. c. 22. v. 16 Johan. 1. v. 1. & 2. 1. Joh.
1. v. 1 Heb. 7. v. 3. Prov. 8. v. 22. Johan. 17. v. 5 Ergo per gene-
rationem aeternam aeternus est. Vide Augustin. Epist. 147. ad
Pascen. Nazian. l. 3. de Theol. Basil. l. 2. contra Eunom.
p. 328.

36. Dein;

36. Deinde verus & perfectus Deus est, quia in ipsum
ut Dominum nostrum unicum salvificam fide credimus, & in i-
psam credendo transferimur ex statu irae in statum gratiae, &
ab ipso bona tam spiritualia quam corporalia religiosè & fidu-
cialiter petimus. Quod argumentum per omnia penè attribu-
ta divina deduci potest, sed à prolixitate abstinemus.

37. Idem verus & perfectus Homo est, quia nobis Me-
diator DATUS est. Qua voce ἐδωκε totam mediationem, incar-
nationem, & omnia quae ad officium Mediatorium pertinent,
insinuari, tum è fine missionis, tum è locis parallelis tam cer-
tum est, quàm quod certissimum. Confer Rom. 3. v. 23. 24. 25.
Gal 4. 5. 1. Johan 4. v. 9. 10. Johan. 3. v. 14. 15. Rom. 8. v. 32.
Esa 9. v. 6. Heb. 2. v. 14. 15. &c.

38. Quia vero noster Mediator unus est, necessarium est,
ut inter utramq; naturam perfectam unio aliqua intercedat,
quae neq; essentialis, neq; accidentalis esse potest, adeoq; superio-
ris & Philosophia ignota rationis est, & propter concursum nas-
turarum in unum ὑποστάσεων hypostatica seu per-
sonalis appellatur.

39. Eam Spiritus S. definit per κοινωνίαν, & μέθεζιν carnis
& sanguinis, per assumptionem humanitatis in Deum, Heb. 2
v. 14. 16. per inhabitationem totius plenitudinis Deitatis (τὸ
λόγος) in carne assumptam, Col. 2. v. 9. exprimit q; his & similibus
propositionibus: Verbum caro factum est Johan. 1. v. 1. Filius
hominis est filius Dei Matt. 16. v. 13. 16. Filius Mariae est Filius
altissimi Luc. 1. v. 35. &c.

40. Tolle hic κοινωνίαν hypostaseos & λόγος, & sustulisti u-
nionem personalem. Nisi enim natura humana subsistit in hyp-
postasi & λόγος, est vel ἀνυπόστατος vel ἀνυπόστατος, quod utrumq;
affirmare impium est, & absurdum.

41. Κοινωνίαν hypostaseos non opponit scriptura κοινωνία nas-
turarum, sed arctissime potius conjungit.

F

42. Vnde

42. Vnde propter admirandam naturarum totaliter sibi unitarum $\omega\epsilon\iota\chi\acute{\omega}\rho\eta\varsigma\iota\nu$ nec assumpta caro extra $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\nu$, neque $\acute{o}\lambda\acute{o}\gamma\omicron$ extra carnem alicubi subsistere piè cogitari vel dici pōt.

43. Propositiones, quæ hoc mysterium enuntiant, personales appellamus, ut ipsam unionem, quam enuntiant. Quomodo unq, illæ resolvantur ad normam alicujus modi ex totius Natura idea descripti nihil minus quam istud mysterium exprimere possunt.

44. Consequitur hinc $\kappa\epsilon\iota\nu\omega\nu\iota\alpha$ idiomatum, quæ non est verbalis, non essentialis, non accidentalis, sed realis & personalis, ut ipsa unio. Eiusq, tria genera ex scriptura numeramus.

45. Nam primò quia istæ duæ nature unitæ sunt in unū $\text{h}\eta\text{p}\text{h}\text{i}\text{s}\text{t}\text{a}\text{m}\text{e}\text{n}\text{o}\text{n}\ \acute{\sigma}\acute{\upsilon}\nu\ \theta\epsilon\iota\text{o}\nu$, propria naturarum personæ in concreto rectè tribuuntur, divina propter Deitatem, humana propter humanitatem, id quod particula $\delta\iota\omicron\epsilon\iota\varsigma\iota\mu\acute{\omicron}\nu$ in hoc genere usitata exprimit.

46. Secundò, quia unio illa facta est ad peragendum officium Mediatorium, unâ naturâ agente non otiosè quiescit altera, aut sua tantum privatim aut separatim agit, nihil, aut aliud, agēte alterâ: sed utraq, natura agit, quod cuiusq, est proprium, cum communicatione alterius, non $\delta\iota\eta\epsilon\rho\epsilon\mu\acute{\omega}\varsigma$, sed $\eta\nu\mu\acute{\omega}\varsigma$ ad unum $\acute{\alpha}\pi\omicron\tau\acute{\epsilon}\lambda\epsilon\sigma\mu\alpha$. Vnde fiunt aditiones $\tau\epsilon\iota\alpha\ \delta\epsilon\iota\mu\epsilon\iota$. Vide Damasc. l. 3. de fid. orth. c. 15.

47. Tertiò, quia assumpta est humana natura, ut esset organon personaliter unitum, in quo, cum quo, & per quod Mediatorium officium filius Dei perageret, sequitur agere eam nō duntaxat è naturalibus viribus verum etiam è potestate sibi communicata.

48. Vbi tenenda Regula Athanasii & Leonis è scripturis extructa: Quicquid in tempore accepit Christus, secundū humanam naturā accepit, cui quæ non habuit, collata sunt: Quomodo accepit $\pi\acute{\alpha}\sigma\omega\ \acute{\epsilon}\xi\epsilon\sigma\iota\alpha\nu\ \theta\epsilon\iota\acute{\alpha}\nu\ \delta\acute{o}\xi\eta\nu$, $\pi\acute{\alpha}\nu\ \tau\acute{\alpha}\varsigma\ \theta\eta\sigma\kappa\upsilon\rho\acute{\epsilon}\varsigma\ \sigma\omicron\theta\epsilon\iota\acute{\alpha}\varsigma$, $\acute{\epsilon}\nu\epsilon\gamma\chi\acute{\alpha}\nu\ \zeta\omega\omicron\pi\eta\eta\lambda\iota\kappa\eta\nu$, $\kappa\epsilon\iota\sigma\iota\nu$, &c.

49. Unio

49. Unio quidem naturarum equalis, conditio tamen naturarum inequalis est, ita, ut reciprocatio hic locum non inveniatur quâ Deitas particeps reddatur ἰὼν παθημάτων humanorum, ut humanitas ἰὼν ἀνεπηρώτων divinorum.

50. Officium eò spectat, ut per ipsum Mediatorem, & in ipsum credendo habeamus vitam aeternam.

51. De hoc primò patet, quòd Mediator sit iuxta utrâq; naturam: Ad quòd enim aliàs naturarum διελόμενος in unitate persona? Nempe, ut idem utrumq; perfectè existens per humanam solveret, quòd illa debebat, & per divinam posset, quòd expediebat, ut inquit Ansel. 2. cur Deus homo c. 18.

52. Deinde patet, quomodo ex aequatur officium, nimirum vitam reparando, ut Sacerdos: Vitam annunciando, ut Propheta: Vitam gratiosè largiendo, & defendendo in hac vitâ, eiusq; plenariam possessionem donando, ut Rex in alterâ.

53. Vitam ut Sacerdos reparat pro nobis divinam legem perfectissimè implendo, tum etiam apud Deum vigore obedientiae suae intercedendo.

54. Unde quia nulla intercessio apud Deum locum habet sine hac obedientiâ, à quâ omnis vis intercessionis, non possumus cum Papistis invocare sanctos, ut Mediatores intercessionis.

55. Ad exprimendum obedientiae Dominicae effectum, à Doctoribus Ecclesiae Latinae assumpta est vox satisfactionis, quae quâvis ἀποδοξεί in scripturis non extet, quoadrè ipsam tamen, & equipollentiam clarissimè inibi reperitur: Quid enim offerre Deo se ipsum hostiâ, sanguine & morte sua expiare peccatum alterius, ut reû vel victimâ, redimere captivum λύτρωσθαι & penâ, quam meruerat, luitione corrigere injuriam, mori insontè pro reo, quid aliud, inquam, sunt, quâ pro alio satisfacere?

56. Obedientia non mutilanda, sed integra sive in agendo sive in patiando magis sita fuerit, accipienda, cum nos pro quibus ille eam praestitit, fuerimus de vinculi legi & ratione obedientiae, & propter lapsum etiam ratione reatus.

57. Ea

57. Ea est obedientia istius loco nostro praestita Dignitas ut iustitia divina ex asse sit satisfactum: Ea Perfectio, ut nihil de nostris sit assuendum, modo ipsam fiducialiter apprehendamus: Ea latitudo ut ipsius meritum ad omnes ac singulos homines se extendat.

58. Sic parta sunt, quae amissa erant. Iam V. videmus, quae ea fiant nostra, nempe credendo, vel per fidem, cui tanquam Media offerentia Spiritus S. respondent verbum & sacramenta, quae dum enervant adversarii, fidem planè evertunt.

59. Sola fides est medium Christum accipiens. Filius enim propitiator noster est, sed per fidem Rom. 3. Vita in filio est: Qui habet Filium Dei, habet vitam, qui non habet filium, non habet vitam I. Joh. 5. v. 10 II. 12. Accipimus autem filium per fidem & in ipso Jo. 1. v. 12.

60. Quod itaq; fides iustificare dicitur non habet ex se, uti qualitas est, sed ab objecto, in quod fiducialiter respicit, nempe à Mediatore Christo.

61. Et quam verè ac certò Christus vita est, & noster fit per fidem, tam verè ac certò homo in Christum verè credens statuere potest, & debet se vitæ heredem fore.

62. Hinc patet etiam ultimo, cur, etiamsi dilectio Patris, Filii Missio & satisfactio ad omnes omninò homines extendatur, non omnes illius gratia actu fiant participes Nempe quia multi Fide sibi non applicant. Fidem vero nō habent quia, cum Spiritus S non vi quadam irresistibili, sed ordinariè per prædicatum & auditum verbum ipsam efficiat, hunc ordinem vel negligunt & à se repellunt, vel in ipso variis modis Spiritui Sancto resistunt, obicemq; obijciunt.

F I N I S.


• Etenebús tractatiónem hoc volum: comprehensivum.

1. BECCERI analysi Psalmi secundi.
2. GESNERI contra primatum Romani Pontificis.
3. HUTTNERI Theoremata tria ex Jobann: 1. 29.
4. FÖRSTERI medulla capit: 53. Esai:
5. Eiusd: Disputationes V. in c. 53. Esai:
6. WINKELM: Disput: ex Jobann: III. 16.
7. Eiusd: Disput: ex Jerem: 23. 3. 4. 5. 5. 7. 8.
8. MAJORIS apobusis oraculi Apostolici 1. Jobann: 1. 7.
9. THUMMII ex verbis dicti Paulini Coloss: 2. 9.
10. FÖRREYSERII Disput: de 7 Verbis Christi novissimis. Autor DANUBIENSIS.
11. SCHMIDT ex verbis dicti Evangelici Luc: XI. 28.
12. Eiusd: de peccator Confes: penitentiali ex Job: 24. 13.
13. BERGII de loco Prop: II. 22 - 31.
14. HÖFFNERI de primigenia hominis conditione, ex Gen: 1. 26. 27.
15. WILHELM: ZYSERII diatribis oraculi Iher: 1. 29.
16. Eiusd: Explicatio Ps. 14. 1. 2. 3.
17. Eiusd: de Anti. Christo ex 2. thessal: 2.
18. BULAI ex verbis dicti Hof: XIII. 9.
19. HÜLSMANNI meditatio ad dictum Rom: IV. 25.
20. LANGII protuevangeliüm, Genes: 3. 15.
21. Eiusd: Jesus typicus in sacrificiis veterum ostensus.
22. MARTINI assertionem Theologic: de curia ad locum Jerem: XXXI. 31 - 34.
23. HENRICI mysterium economia ex dicto ad Coloss: 2. 9.
24. CUNDISII exercitatio: theol: ex Esai: 49. 22. 23.
25. Ziegria expositio Psalmi 2.
26. LANGGE septem verba Christi.
27. KUNZBE Disput: ex 1. Tim: 3. 16.
28. Eiusd: de Confessione dominis ab infidelitate ad fidem.
29. GERHARDI Cyrillus.
30. OLEARIUM lumen gentium Luc: II. decantatum.
31. 32. Programma ex Gen: 49. 11. 12. Aliud ex Apocal: 1. 4.
33. ZILLI philologia in Esai: 1. 4.
34. BOSII Evangelium anathemate desensu, Galat: 1. 6. 7. 8. 9.
35. ALBERTI magnificentia divina Joel: 2. 28. 29.
36. NIEMANNI de Christi delevisti querela, Matth: 27. 46.
37. THILONIS Disput: ex 1. Corinth: 2. 14. 15.
38. MEYCKENII Exercit: Theolog: ad Rom: II. 31. 32.

ung II 18

VD 17

Z



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

HEOLOGICA

n. 3. vers. 16.

M

*enerandi ordinis Theolo-
gia Gießena,*

larissimo viro,

IANNE

S. THEOLOGIAE

M PROFESSORE PRI-

marum Ecclesiarum Haf-

partis superatten-

tissimo,

AC PRIVILEGIIS

a consequendis ven-

ponit

us Neostadio-Brun-

atum Professor

rius.

in Auditorio Majore.

1617

S Æ,

asparis Chemlini.

1617.

ed
d

6.

010

M.M.Z.

